



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Veteris Hominis Per Expensa Quatuor Novissima Metamorphosis, Et Novi Genesis

Stanyhurst, Guillaume


Coloniae, Anno 1702

VD18 1237699X

Pro Homine Veteri Consilium, Pro Novo Monitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51849)

AD LECTOREM.



PRO HOMINE
VETERI CON-
SILIUM,
PRO
NOVO MONITUM.

Omnes morimur. Eccl. 26.

U*T ardore novo fias ex veteri, Ho-
mo Novus, sint tibi altè animo
infixa, gemina Ecclesiastici ver-
ba. Omnes morimur, quid
dici posset ad brevitatem succinctius?
quid ad veritatem nervosius? Omnes
morimur. Est oraculum, non è tripode
effusum, sed è caelo prolatum: non de-
promptum è Sybilla foliis, sed excer-
ptum è Spiritus Sancti paginis: Omnes
morimur. Sunt duo verba, sed quo-
rum veritatem confirmant infinita ex-
empla,*

AD LECTOREM.

empla, sexcenta funera, quotidiana experientia, SS. Patrum testimonia, historiarum fides, Oratorum lumina, Parnassi oracula, Philosophorum placita, lex Divina & humana: denique omnia haec clamant, inculcant, hortantur. Omnes morimur. Si dubitas, reminiscere, ubi sint avi tui? ubi abavi, atavi, proavi, majores? ad experientiam te revoca, respice caemiteria, tumulos visita, quotidiana attende funera: Omnes morimur. Qui omnes? viri? etiam feminae? senes? etiam juvenes, pauperes? etiam divites: Ignobiles? etiam Nobiles; Philosophi? etiam Jurisperiti: Omnes morimur. Forsan horres illa tam inauspicata verba, quae mortem praenuntiant & si votis tuis Deum obsecundare velle censeris, optares tibi indulgeri illud singulare privilegium, quod olim ab Alexandro Magno, magno ambitu flagitabant Philosophi quidam. Cum Alexander late per orbem terrarum arma victricia circumferret, ac remotissimas orbis Regiones non magis suis cursibus per-

AD LECTOREM.

peragraret, quàm triumphis, atque victoriis illustraret, audivit propè adesse catos, ac eruditos quosdam philosophos, quorum verba, tanquam Apollinis oracula omnes suspiciebant. Hos, ut ex responsis, recondita cujusdam sapientiae viros esse, experientiâ ipsâ comperisset; Petite, (ait Alexander) à me quodcumque munus & accipietis: cui Philosophi; volumus, à te immortalitatem obtinere. Risit ad hæc verba Alexander, & irrisit Philosophos: sapientes vos ait, esse censebam; nunc verò iudico vos esse ignorantes: mihi id, quod flagitatis, præstare nequeo; quomodo vobis tribuam? Mortalis ergò (ajunt) est tu? sum. Ut quid ergò tanquam immortalis mundum universum turbas, ejusque dominatum tanto ambitu quaeris? Hoc in mente Alexandri infixum aculeo abiëre Philosophi, ad se rediit Alexander. Hoc si exposcis Privilegium, petis aliquid, quod à nullo potest donari; atque ideo à nullo prudente debet postulari. Nulli enim mortali in
vita

AD LECTOREM.

*vita mortali conceditur immortalitas; quia ut antea dixi. Omnes morimur. Unde benè Tertullianus. (a) Mutuum debitum est inter se natiuitati cum mortalitate: forma moriendi, causa nascendi est. Cui accinit *Divus Cyprianus*: (b) Nascimur, morimur, ideoque nascimur morituri, quia prius morimur nascituri. *Et quid mirum?* (c) Commorandi nobis natura hospitium, non habitandi dedit, ait *Romane eloquentiae non tantum lumen, sed inexhaustum flumen Tullius*. Denique hanc gratiam frustra ab ullo peti, ex *Seneca* verbis intellige (d) Nemo tam imperitus est, ut nesciat sibi quandoque moriendum, tamen cum propè accesserit, tergiversatur, fremit, plorat. Quid fles miser? quid ploras? omnes hâc necessitate ducuntur. Eò ibis, quò omnia eunt?*

Ad

a *L. de carne Christi. cap. 6.* b *Ser. 6. in Psalm. Qui habitat.* c *Philip. 4.* d *Epist. 67.*

AD LECTOREM.

Ad hanc legem natus es. Hoc Patri
tuo accidit, hoc Matri, hoc omni-
bus ante te, hoc omnibus post te,
Quantus te populus moriturorum
sequetur? Quantus comitabitur?
Fortior opinor esses, si multa
millia hominum tibi commoreren-
tur, atqui multa millia hominum, &
animalium hoc ipso momento, quo
tu mori dubitas, animam variis ge-
neribus amittunt. Tu autem non
putabas te ad id aliquando perventu-
rum, ad quod semper ibas? Credo
te ex his verbis intelligere non posse,
a mortali concedi immortalitatem. For-
tasse juvenes prerogativam quam ju-
venis quidam a Parente sibi impertiri
postulabat, flagitabunt. Rem obiter
perstringo. (a) Vir quidam, ut stem-
mate inclytus, ita & opibus splendidus
de Mingorri nomine, filium habebat,
quem ad disciplina militaris tyroci-
nium,

a Vincentius Tom. 3. Spec. Moral. f.
693. l. c.

AD LECTOREM.

nium, Marti devotum, armis probe instructum destinavit. Sed alia esse hominum consilia, quam Dei decreta, eventus docuit Patrem, & eventu didicit Filius. Nam cum Divino magis instinctu, quam fortuito casu Filius Claramvallem, D. Bernardi fama celebrem, pertransiret, illic contemplatus alterius militiae tyrones, sub Dei aquilis stipendia facientes, & praelia Domini praeliantes: ac deinde animo secum reputans, & qui sacra, & qui profanae militiae auctorati sunt, morti esse obnoxios: hoc tamen discrimine, quod qui Deo militant, eos amplius longè maneret donativum, corona quippe gloria immarcescibili exornari: percasus profanae militiae, iussit mundum res suas habere, & ad Christi castra, sub eius vexillis meriturus, transfugit, ibique exuens arma iniquitatis, induit se armaturam Dei, ut adversus rectores tenebrarum harum, bonum certamen certaret. Quod ubi parens intellexit, ratus turpissimam inustam esse

AD LECTOREM.

esse notam suae familiae; ob hoc novum genus, quod filius amplexus fuerat, militia insigniter stomachatus, concito gradu fertur ad illud, quo se filius contulerat claustrum; ubi ruptis omnibus juris humani, ac Divini claustris, extremum toti monasterio minatur excidium, ni confestim remittant, quem admiserant filium. Antistes foras egressus, his verbis insolentis hominis furorem inflammatum sopivit, non extinxit; Filium non gravatè ad parentem rediturum, si modo unam, quae in Regione ejus vigeret, consuetudinem aboleret; sin minus acquiesceret, & filium votis gaudere sineret. Placuit homini incondito conditio. Exhebetur ejus conspectui filius, conditionem exponit: Una, inquit mi parens in vestra Regione mihi displicet consuetudo, quod illic aequè juvenes moriantur, ac senes. Hanc rogo, ut abroges, sin minus, illic persistam vivere, ubi mori juvenis non timeam, senex expetam. [a]

[a] His verbis parentem sibi prius
a Ita Vallensis de regimine vite hu-
manae s. CXX. XII.

AD LECTOREM.

prius succensentem accendit, ut militiam & ipse non quidem desereret, sed mutaret. Enimvero & ipse eidem, cui filius, voluit adscribi militiae, ut eadem cum filio donaretur corona Justitiae. O gratum Juveni privilegium, si possit vita produci usque ad senium, usque ad decrepitam aetatem; si posset antiquari hac Juventuti nimium quantum ingrata consuetudo, ne hic morentur aequè juvenes, ac senes. Juvenes mori possunt, senes debent: imò vero Juvenes non tantum mori possunt, sed ut plurimum solent. Fortasse non displicebit quibusdam domum, quod quidam referunt largitum fuisse filiis suis, alterum illum mundi instaurati parentem Noemum: [a] Is post prodigiosum illud mundi submersi naufragium, maximamque eluvionem, cum filios, filiasque in varias emitteret terrarum Regiones, ne illi cupiditate longius evagante liberè volitarent, sed in-

tra
a Jacobus Edissenus Syrus. Labata
Apparat. T. 1. f. 367.

AD LECTOREM.

tra modestiæ gyrum continerentur
munus cuiuslibet obtulit non quidem uti-
le censu, sed fertile fructu. Quod il-
lud? singulis distribuit è lipsanis, ossi-
busque Adami portionem aliquam:
Uni dedit Calvariam; alteri manum,
isti costam pectoris, alteri coxendicem,
ut illorum aspectu; in amplissimo, quem
ut hereditatem adibant tetrarum do-
minatu, mortales se meminissent, &
ne nimium se efferrent. Quid si è cami-
terio selecta huiusmodi ossa mortualia
tibi in manus offerrem? sed apage, in-
quies: ossa canibus projiciuntur. Quid-
quid ad mortem spectat, v. ventibus
displicet. Mortis cogitatio percellit
mentes, commemoratio offendit aures,
contemplatio lædit oculos. Tamen si
velim quid impertiri accommodatum
tuo statui, ac conditioni, nil Mortis
imagine possum offerre opportunius,
nec utilis ad evitandam aternam
mortem, ad obtinendam sempiternam
viam. Quia ex illis, de quibus lo-
quitur

AD LECTOREM.

quitur Ecclesiasticus : Omnes mori-
mur , tu unus es , qui morieris ; ut
mortem non tantum non metuas , sed
expetas ; dic cum Paulo , sed & fac,
quod Paulus : Quotidie morior. Qui
debes in mundo mori semel , mundo mo-
rere semper. Qualibet dies vitæ , sit tibi
mors alicujus culpæ. Hodie morere tuæ
Iracundia , cras Luxuria , perendie
Invidia , post Acedia , semper alicui
vitio. Qui in peccatis natus est totus ;
ut vivas , morere peccato. Hoc facis
dum illi peccata aperis ; qui habet po-
testatem demittendi peccata. Si ita
moreris : mors tibi erit non modo votum ,
sed summa votorum : mori tibi erit , non
solum nunc , antequam moreris , desi-
derium : sed tunc , cum morieris , gau-
dium. Fateor , jam passim vivitur ,
(ut quidam dextrè observavit) pro Ho-
nore , Ore , Ære , Re ; hoc est , eo re-
ferentur propè omnes cuiuslibet homi-
nis conatus , ut vivat , ditescat , come-
dat , honoretur. Hoc modo , si vivas
meo.

AD LECTOREM.

modo : finis peritura vite , erit tibi
initium sempiterna mortis. Morere
ante mortem , sed ut Paulus , quotidie
mорий , cur ? pro vestra gloria , tu
quotidie morere ; si non pro aliena , cer-
te pro tua gloria : qua una est tua
militia Corona , tua pere-
grinationis patria.

